Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269

Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

rita. multa dominus operari cepit miracula. ut viderit muti illic lingue officium. debiles vitalem membrorum motum. et omnium infirmitatum langwidi reciperent sanitatis donum.

Puer quidam pauperrimus homo nomine Reginherus rebus tenuis et tocius corporis membris adeo debilis: ut nusquam omnino pedibus gradi valeret. sed genibus et ulnis quasi fera quadrupes reptaret. Hic auditis signis que dominus ad tumbam sui fidelis ministri iugiter ostendebat. quo pacto ad illum locum pertingere posset cogitabat. Novem enim annis continuatim gravissima langwerat infirmitate: proindeque tanta emarcuerat debilitate. Ipsius quoque quo poterat cepit se movere. et de adiutorio divino presumens reptando obtinuit pervenire. Cumque intima devotione iacuit aliquantum temporis. salutem anime et corporis iugiter expectans et fideliter obsecrans apud tumulum sanctissimi confessoris. quadam nocte nimius horror cum tremore illum invasit: qui omnia eius membra simul conquassavit. Recedente tremore sanus homo surrexit: quo debilitas omnis penitus simul abscessit.

Alio rursus tempore quidam ita pessime debilitatus erat. ut manibus tantum et brachiis in scabello nitens. post se traheret corpus velud alienum pondus: eo quod cetera membra essent inmobilia. et ad usum nature inutilia. Sperans ergo sanitati restitui. meritis viri sanctissimi. ad confessionem eius properare concupivit: sed quo pacto perveniret. quomodo inciperet nescivit. Homines autem qui eum sciebant. eius fidem et voluntatem audientes. misereque passioni quam tolerabat condolentes. volebant eum vehiculis asportare: sed ipse maluit suo nisu quantum posset iter confirmare. Motu ergo soluto iam ingressus. serpendo pocius quam incedendo pervenit ad locum quem sitivit ardentius. Veniens autem impetravit a custodibus ecclesie ut liceret sibi ad sepulchrum hominis dei diebus et noctibus excubias agere. si quidem deus servum suum in se voluisset mirificare: seque pro sanitate clamantem dignaretur exaudire: Nec in ea confidentia spe frustratus inani. cum diu aliquantum ibi demoraretur. integre restitutus est sanitati.

A
vi. K. febr.

Incipit narratio sancti Ieronimi presbiteri de dormitione sancte Paule vidue:

Si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas. et omnes artus humana voce resonarent: nichil dignum sancte et venerabilis Paule virtutibus dicerem. Nobilis genere sed nobilior sanctitate. Potens quondam divitiis: sed nunc Christi paupertate insignior: Graccorum stirps. soboles Scipionum. Pauli heres. cuius vocabulum trahit. Mecie Papirie matris Affricani vera et germana progenies. Rome pretulit Bethleem: et auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit. Non meremur quod tale amisimus: sed gratias agimus quod habuimus. immo habemus. Deo enim vivunt omnia. et quicquid revertitur ad dominum. in familie numero computatur: quamquam amissio illius celestis domus habitacio sit. Que quamdiu in corpore fuit. peregrinata est a domino: et semper flebili voce querebatur dicens. Heu me quia peregrinatio mea prolongata est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum peregrinata est anima mea. Nec mirum si planxerat se versari in tenebris. hoc enim cedar interpretatur. Quia mundus in maligno sit positus: et sicut tenebre eius ita et lumen eius. luxque in tenebris luceat. et tenebre eam non comprehenderunt. Unde et illud crebrius inferebat. advena sum et peregrina sicut omnes patres mei. et iterum. cupio dissolvi et esse cum Christo. Quociens autem infirmitate corpusculi. quam incredibili abstinentia et duplicatis contraxerat ieiuniis vexabatur. hoc in ore volvebat. Subicio corpus meum et in servitutem redigo: ne aliis predicans. ipsa reproba inveniar: Et bonum est vinum non bibere. et carnem non manducare: Humiliavi in ieiunio animam meam. et totum lectum meum versasti in infirmitate. et versata sum in miseria dum configitur spina: atque inter doloris aculeos quos mira pacientia sustinebat. quasi apertos sibi celos conspiceret loquebatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbe. et volabo. et requiescam. Testor Ihesum et sanctos angelos eius. ipsumque proprium angelum. qui custos fuit et comes admirabilis femine: me nichil in gratiam. nichil dicere more laudantium. sed quicquid dicturus sum. pro testimonio dicere. et minus eius esse meritis. quam totus canit orbis. sacerdotes mirantur. virginum chori desiderant: monachorum et pauperum turba deplangit. Vult lector breviter eius scire virtutes: omnes suos pauperes ipsa dimisit. Nec mirum de proximis et familia quam utriusque sexu de servis et ancillis in fratres sororesque mutaverat. ista proferre. cum Eustochium virginem et devotam Christi filiam. in cuius consolationem libellus hic cuditur. procul a nobili genere sola fide et gratia divitem reliquerit. Carpam igitur narrandi ordinem: Alii altius repetant. et ab incunabulis eius. ipsisque ut ita dicam [illegible] crepundiis matrem Blesillam et Roga[illegible] dico